

Joachim Hartmann

**Programma, Qvo Festvm Pentecostes Pie Celebrandvm Civibvs Academiae ...  
Commendat : Simvlqve Inchoatas Ante Triplex Semestre in S. R. Semleri  
Paraphrasin Epistolae Ad Galatas Dilvcidationes**

Rostochii: Ex Officina Adleriana, [1787?]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn878973060>

Druck Freier  Zugang





T. 512.

1787. Pfingsten.

~~M-1256. 422. a.~~

PROGRAMMA,  
QVO  
FESTVM  
PENTECOSTES  
PIE CELEBRANDVM  
CIVIBVS ACADEMIAE O. O. HONORATISSIMIS  
STUDIOSISSIME COMMENDAT,  
SIMVLQVE  
INCHOATAS ANTE TRIPLEX SEMESTRE  
IN  
S. R. SEMLERI  
PARAPHRASIN  
EPISTOLAE AD GALATAS  
DILVCIDATIONES  
CONTINVAT

JOACHIM HARTMANN,

CONSIST. DVC. CONSIL. PHIL. ET SS. TH. DOCTOR  
HVJVSQVE P. P. O. FAC. THEOL. SEN. ET DEC. SOCIET. SCIENT.  
QVAE FRANCOF. AD VIADR. FLORET, SODALIS,  
ACADEMIAE ROSTOCHIENSIS HODIE RECTOR.

---

ROSTOCHII,  
EX OFFICINA ADLERIANA.

M-1256. 422. c.

H. 1787

PROGR. AMMA.  
FESTUM  
PENTECOSTES  
et ω.

2. Tim. 1, 13.

Ἰποτύπωσιν ἔχει ὑγιαίνόντων λόγων, ὧν παρ' ἐμῆ ἡκαστα, ἐν  
πίσει, καὶ ἀγάπῃ, τη ἐν χριστῷ Ἰησοῦ.

Formam habe sanorum verborum, quae a me au-  
disti, in fide, et in dilectione, ea, quae est  
in Christo.



JOACHIM HARTMANN  
ACADEMIAE ROSTOCKENSIS HODIE RECTOR.

ROSTOCKI  
EX OFFICINA APOSTOLICA

1221 A.



ש"ס

**M**eliori sane modo Festa Deo Sacra non transiguntur, quam ut ad intelligendas Sanctissimas Scripturas, et haustas ex earum purissimo fonte Religionis verae Christianae doctrinas, animum adplicemus, nec cognitionis quidem solius augendae gratia, verum et sanctioris, ad eas veritates animum componendi, propositi causa. Ea, itaque Vobis, Academiae Cives O. O. Honoratissimi, sedeat mens, dum celebratissima Effusionis in Salvatoris Nostri Θεανθρωπιᾶς Apostolos Spiritus Sancti festa dies hodie recurrit, et sacratissima opera obeunda est. Magnopere omnino gaudeo, quod, pro officii ratione, aliqua, in saluberrimum istum finem, Vobiscum communicare mihi concessum est. Non profecto, spero, immemores estis, eius, quem ante triplex semestris suscepi, dilucidandae *Paraphraseos Semlerianae in Epistolam ad Galatas* laboris. Continuabo idem studium his, quae Vobis exhibendae sunt, lineis <sup>1)</sup>. Subsistendum mihi tum erat, cum  
A. 2 idem

1) Coepit spargi inter nos error, quasi quatuor priores Libri Moysi non hunc, sed alium habeant, a Mose diversum, Auctorem hominem, et Scriptorem, solusque Liber quintus, qui Deuteronomii titulo insigniri consuevit, ab ipso Mose consignatus sit. Obstupui. Notum quidem erat mihi, primum librum Moysi a quibusdam, elapso jam et nostro quoque Seculo, ex rationibus omnino nullis, ab alio auctore homine, quem tamen ipsi adsignare non potuerunt novaturientes, derivari voluisse. Nec ignorabam, eorum buccinam nostris quoque temporibus inlasse, ad falsa, dummodo speciem novi fingere videantur, quae;



idem inchoarem, in explicando loco et tempore, quo scriptae sunt istae Pauli ad Galatas literae. Vir S. R. SEMLERVS praeter

quaecunque pronissimum *Dn. MICHAELIS*. At historiam sui temporis Mosen ipsum quatuor posterioribus libris descripsisse, hoc a quorundam recentiorum negatum esse, praeterquam Deistis et Naturalistis, jam dudum satis refutatis, quod invenerit, qui vel EDUARDI STILLINGFLEET, *Origines sacras*, vel S. R. FRIDERICI WAGNERI *Wahrheit und Göttlichkeit der H. Schrift und Christlicher Religion*, scriptum Edelmanno oppositum, pluraque tum contra Edelmannum edita Scripta, PPHOTENHAUERI, IO. CHRISTIANI WAGNERI, aliorumque, consuluerit, hoc ignorabam. Quoniam itaque, qui secundum, et tertium, et quartum, praeter primum, ex laciniis compositum, et Mose cum certitudine adscribi non posse, nunciabat, ad *Dn. EICHHORN* provocabat; hujus librum, quem is auctor allegaverat, cupide evolvi. Verum vehementissime miratus sum, falli Auctorem illum nostrum, et Lectores simul fefellisse suos. Deprehendi omnino, *Dn. EICHHORN* eadem tibia, qua praecentor ejus, *Dn. MICHAELIS*, cecinisse, et, Geneseos a Mose scriptum esse librum, negare, nec tamen, a quo, vel quibus, scriptus sit, novisse: Deprehendi Virum duo diversos scriptores fingere, quorum fragmenta deinde tertius composuerit, quem aequae minus atque priores duo allegare potest: Deprehendi futilibus Antesignani argumentis, falsa quoque *Cadmi* et *Sanchuniatonis* Chronologia, prorsus corruptis, usum esse, suaque aliqua non melioris farinae praeterea addidisse, Deprehendi amplissime, sed inani conatu, ex diversis Dei Nominibus adhibitis, ex aliquot diversis aliis vocibus, ex iteratis, ut ipsi falso videtur, recensionibus earundem rerum, aliisque adhuc magis ineptis rationibus, diversos arguere voluisse Scriptores Geneseos. At inveni, illum ipsum Virum, Exodum, Leviticum, Numeros, et Deuteronomium, non modo a Mose scriptos esse libros adfirmare, sed etiam argumentis adhibitis, remotis quoque objectionibus, confirmare. Ut mirer, nec satis mirari possim, qui fieri potuerit, ut noster Auctor coequentibus plane oculis viderit, *EICHHORN*IVM, adversus priorum quatuor Librorum pentateuchi a Mose originem, declamantem: Er, quod magis mirandum est, ut hic noster *ficto* *EICHHORN*IO suo calculum addiderit, scribendo, *quod sibi ea Viri deductio vero videatur similis*. Constitueram hoc quidem Programmata *EICHHORN*IO quatuor priores libros Pentateuchi Mose abjudicanti, ut noster docuerat, obviam ire. Imo tanto magis discussione opus videbatur, quanto speciosior, negato Librorum Auctore humano Mose, ad negandam eorum Θεογενειαν videri poterat transitus. Verum enim vero postquam vidi, nostrum auctorem fallere, et quae de Geneseos Libro scripserat



ter ea, quae de his proposuerat, etiam alia quaedam in Prolegomenis suis tractanda censuit. Duo maxime sunt, in quibus haeret 1. *Vera loci* Gal. 2, 5. lectio, et 2. *Significatus*, qui voci *Legis*, *νόμος*, in Epistolis Paulinis tribuendus est. Ad haec itaque duo momenta haec nostra se refert expositio.

## S. I.

Vir Summe Reverendus totus in eo est, ut, quae v. 5. deprehenditur in nostris editionibus negatio, *οἷς ἔδδ' πρὸς ἄραρον ἔξαμεν*, quibus nec ad horam quidem cessimus, authenticam esse neget, et stabiliat legendum esse *οἷς πρὸς ἄραρον ἔξαμεν*, vel, omisso quoque pronomine *οἷς*, legendum esse, *πρὸς ἄραρον ἔξαμεν ad horam cessimus*. Non expectabit quisquam, ut in causae decisione stabilis aliquid, aut constantis, et firmi, in Viro deprehendat, quem de magnis a se praestandis nobis commodis gloriantem, nihil agentem, decidentem nihil, jam in primo Programmate vidimus. Nova studentem, in Viros a se alienos indignantem, a veritate orthodoxa deviantem, tandemque in mentis haesitatione desinentem, hoc quoque loco inveniat quisque. *Vnicum*, fatetur, ex omnibus esse Codicem, qui negationem non habet, eumque quidem, cujus tanquam *graeo-latini* obscura, nec admodum aestimanda, causa sit. At, eandem ejus causam, nectendo historiam sibi propriam, et ab ea, quam MILLIUS, qui et ipse omissionem negationis praefert, ad h. l. conjecturando finxit, satis diversam, juvare ingressus Dn.

A 3

SEM-

perat ille, futiliter ad quatuor priores Pentateuchi libros extendisse: Quaeque ille de Genesi dixerat, adeo inaniter dicta deprehendi, ut emunctioris nati neminem suarum partium facere possint, plurimis, in Libris et Vtriusque Testamenti Canonicis, et Apocryphis V. T., factis quinque Librorum Mosis allegationibus clarissime refutanda: Atque quod verosimile nostro videbatur non ens neminem a tramite recti seducturum judicavi; a proposito Pentateuchum Mose vindicandi destitit, et quam hoc programmate exposui, *Viro S. R. SEMLERO* oppositarum, Dilucidationum continuationem, subentiori animo suscepi. Quantopere optandum est, ut Viri docti, et probi, rerum Theologicarum non satis gnari, hebetem in alienam messem ne immittant falcem suam!



SEMLERUS Codices *Graeco-latinos* antiquissimam servare et integriorem recensioem graecam, adstruit. Atque hoc eo firmare vult, quod primis temporibus, ante seculum quartum et quintum, diversas fuisse centes graecas recensioes. Inde a Seculo 5. 6. vnicam tantum recensioem praelatam fuisse, qua servata altera spreta fuerit, cuius tamen, seculo 16, vix aliquot exemplaria servata sint. Bella fabella! quam tamen ornandam quaerit, non satis feliciter, Vir S. R. Qui concinam eamque breuissimam quaestiois decisioem iustam desideraverit, adeat *b. WOLFFII Curas Phil. et Crit. ad h. l.* qui etiam attulit, quae MILLIO opposuerunt WITHEY, et MASTRICH. Interim videamus, quid pro coloranda sua sententia adferat *Dn. SEMLERUS.*

## §. 2.

Postquam is in THEOD. BEZAM effuderat suam bilem, quod Codicem Cantabrigiensis illum supra dictum graeco-latinum, Cantabrigiensis Academiae Bibliothecae dono dederit, nec eius quidem mentionem fecerit ad h. l.: Postquam adversus *b. SCHUBERTUM*, qui adversus *Dn. SEMLERUM*, edito de inspiratione et Canone Scripturae libro, calamum suum strinxerat, aliqua nullius momenti, nec tamen sine cavillatione doctrinae de inspiratione Scripturae, atque ea protulerat, quae ad praesentem causam nihil quidquam faciunt: Postquam BEZAE correctionem, in Codice dicto graeco-latino factam, qua textui, omissa manu prima, verba *οἱ δὲ* addita erant alia manu, indignabundus tanquam ab ipso BEZA factam, sine vilo factum probante argumento, objecerat; tandem recensioem eam, quam adduxi (§. 1.) in manibus Doctorum Catholicorum fuisse adseverat, idemque sine vlla probatione ita perhibet, vt fidem ingeneret lectori, multitudinem fuisse Codici consimilium exemplarium, quorum tamen vel vnicum producere exemplum non poterat. Fumum itaque vendit ista legentibus et bona fide acceptantibus. At vero ea Viri sedulitas est omni vacua fructu apud eos, quibus cognitum est, facile fieri potuisse, vt particula vel vnica exigua, vel duae voces minores, a Copiista negli-



negligerentur: quibus cognitum est, quod non raro Copiistae aequae ac Interpretes secundum suum, quem Scripturae intulerant, sensum, in describendo et interpretando textu egisse, cujus rei exempla sat multa proferri possent, nisi in hac ipsa is se modus agendi satis, ut mox videbimus, proderet.

## §. 3.

Vir nimirum S. R. ut speciem addat assertioni, fuisse quondam exemplaria Codicum, particulam ἑδέ, vel utramque vocem οἷς ἑδέ, omittentium, provocat ad IRENAEVM, ad TERTULLIANVM, HILARIVM, HIERONYMVVM, aliosque aliquos obscurioris nominis Patres, eosque, etiam illos, ex quibus contrarium occupare poterat, legisse in Codicibus suis πρὸς etc. sine vocibus οἷς ἑδέ, adstruit. De IRENAEO dicam, cum ad ipsum locum Cap. 2, 5. venero, non enim nunc is mihi ad manus est. Quantum ad TERTULLIANVM attinet; novi non modo SEMLERVM, sed et MILLIUM, et WETSTEINIUM, et BENGELIUM, et WOLFIUM, verba illa Carthaginensium presbyteri, quorum totum adduxi, ut apud Virum Presbyterum leguntur, nexum <sup>2)</sup>, eo intelligere, ut codicem latinum TERTULLIANO addant,

- 2) TERTULLIANUS, Libro adversus Marcionem quinto, Cap. 3. Denique, inquit, ad Patrocinium Petri, caeterorumque Apostolorum, ascendisse Hierosolimam post annos 14 scribit, ut conferret cum illis de Evangelii sui regula, ne in vacuum tot annis cucurrisset, aut curreret, si quid scilicet citra formam illorum evangelizaret; adeo ab illis probari et constabili desiderarat. Quod si quando vultis Iudaismi magis affines subintelligi, cum vero nec Titum dicit circumcissum, jam incipit ostendere, solam circumcisionis quaestionem, ex defensione adhuc legis concussam ab eis, quos propterea falsos et superinductitios fratres adpellat, non aliud statuere pergentes, quam perseverantiam legis, ex fide sine dubio integra Creatoris; Atque ita pervertentes Evangelium non interpolatione Scripturae, qua Christum Creatoris effingerent, sed retentione veteris disciplinae, ne legem creatoris excluderent. Ergo, propter falsos, inquit, superinductitios fratres, qui subintraverant ad speculandam libertatem nostram, quam habemus in Christo, ut nos subigerent servituti, nec ad horam cessimus subiectioni. Intendamus enim et sensui ipsi, et causae eius, et apparebit vitiatio Scripturae. Cum praemittit, sed nec Titus, qui mecum erat,



addant, qui vel sine negatione, quibus ad horam cessimus, vel absque duabus vocibus ad horam cessimus legerit. Ejus vero apud TERTULLIANVM non est vllum vestigium. Is enim textum latinum utique allegat, utramque vocem exhibentem. Nec dubitare sinit contextus, quia prima verba sint non allegata Marcionis, sed ipsius Presbyteri, verba. Quae sequuntur TERTULLIANI iudicium de ista lectione exprimunt, quod scilicet ea sibi videatur corrupta, quod suum iudicium neutiquam ex aliquo codice reperit, sed solummodo ex contextu, cuius ad suum, proprium sibi, concipiendi modum constituerat sensum, omnino falsum, et rei neutiquam accommodum, demonstrare, invalido prorsus argumento, annitur. Vnde ex hoc TERTULLIANI loco ne latinum quidem Codicem, multoque minus graecum, vel negatione, ἄδῃ, vel utraque voce, οἷς ἄδῃ, carentem, cogere, nec Vir S. R. nec alius quisquam potest.

§. 4.

Vitiosissima est ista nostri temporis Criticorum methodus variantes statim Textus Originalis lectiones fingendi ex versibus. Interpres enim, qui aliam in linguam Textum Originalem

erat, cum esset graecus, coactus est circumcidi: dehinc subiungit propter inductitios falsos fratres, et reliqua: contrarii utique facti incipit reddere rationem, ostendens, propter quid fecerit; quod nec fecisset, nec ostendisset, si illud, propter quod fecit, non accidisset; Denique dicas velim, si non subintroissent falsi illi fratres ad speculandam libertatem eorum, cessissent subiectioni? non opinor; ergo cesserunt, quia fuerunt, propter quos cederetur. Hoc enim rudi fidei et adhuc de legis observatione suspensae competebar, ipso quoque apostolo, ne in vacuum cucurrisset, aut curreret, suspecto. Itaque frustrandi erant falsi fratres, speculantes libertatem christianam, ne ante in servitutem adducerent Iudaismi, quam Paulus sciret, se non in vacuum cucurrisse, quum dexteris ei darent Antecessores, quam ex censu eorum in nationes praedicandi munus, subiret. Necessario igitur cessit ad tempus. Et sic ei ratio constat Timotheum circumcidendi, et rasos introducendi in templum, quae in actis edicuntur adeo vera, ut Apostolo consonent, profitenti factum se Iudaeis Iudaeum, ut Iudaeos lucrifaceret; et sub lege agentem propter eos, qui sub lege agerent. Sic et propter superinductos illos, et omnibus novissime omnia factum, ut omnes lucraretur.



lem transfundit, hujus sibi ante omnia cogitat sensum. Et hunc, quem sibi constituit, in aliam tum linguam transfert. Vnde verba versionis interpretis sensum exprimunt, quem verbis Textus Originalis ipse tribuit. At, errare humanum est. Si rite cepit sensum Textus Originalis interpretis, tum verum attingit. Sed ne tum quidem semper ex versione colligi potest, quodnam vocabulum Textus Originalis, quem transtulit, habuerit: Quia notissimum est, vnam eandemque sententiam, in qualibet lingua prorsus diversis modis, locutionibus, terminis, propter et synonymiam et homonymiam cujusvis linguae, exprimi posse. Quodsi nunc porro interpretis et ipse erroneo modo conceptum sensum Textus Originalis sibi effinxit, hinc suo sensu a Textus Originalis sensu, vt non raro fit, longissime discedit, tum futilissime concluditur ad lectionem aliquam a Viro Critico Textui Originali tributam. Atque, quae de Interprete diximus, ea multo magis valent, cum patres, aut Commentatores, ne Textum quidem alicujus Codicis afferunt, sed suum de proposita causa iudicium sequuntur, suumque ingenium demonstrant. Quis, quaeso, ex eiusmodi procedendi modo iudicare possit, Textum, quo usus est Pater, vel Commentator, ita habuisse? Quis ex Versionis Codice, qui nec clare evictus est, iusta lance Textum possit Originalem quemcunque, viro eiusmodi tribuendum, definire? Quis ficti Codicis Textus Originalis lectionem sana sententia determinare? Is autem est hic, quem prae manibus habemus, eventus. Si TERTULIANVS Textum alicujus Codicis Latini, qui negationem, vel utramque saepe dictam vocem, non haberet, allegasset, tum aliqua species juris adesset, eum verbis Codicis Latini, utramque vocem exprimentibus, quae allegavit, opponendi! et tum quaestio, quisnam ex Codicibus veram lectionem habeat, non per modum, quo presbiter uritur, demonstrationis ex suo de loco Codicis conceptu, eoque praeterea erroneo, sed ex Codice Originalis Textus, cui auctoritas constet sua, decidenda erat. Quodsi autem Originalis Textus sunt variantes Codicum non Autographorum, quae non habentur, lectiones, alium et vel contrarium sensum exprimentes, tum per exegeticas re-

B

regulas



gulas rite custoditas, et ad textum adplicatas, verus sensus et sic vera lectio argumentis non fictis, sed rei per omnia conformibus, invenienda est. Quodsi autem eundem, vel saltem non contrarium, sensum exhibent, tum vel omnino non merentur attendi, vel codicis antiquitas palmam feret. Nostro casu TERTULLIANVS pro sua sententia neque Codicem Latinum, quem tamen ipsi post pauca affingit Vir S. R. neque Graecum habet, causam suam dialogismis futilibus, et rei non convenientibus, agit, hinc non audiendus est, et claudicante Vir S. R. SEMEERVS, ad ipsum provocans, utitur milite, mataeologo teste. Dialogismi futiles duo, quos affert, sunt. 1. *Non cessisset si nulli falsi fratres fuissent. Ergo cum falsi fratres adessent, cessit. Quae? qualis? quanta? Cessione non opus erat priori casu, quia Pauli doctrina substitisset, et veritas evangelica inconcussa mansisset. Nunc, cum concussuri eam accederent, necessarium erat, ut ne cederet, sed contranitentes repelleret. Ergo ne ad horam quidam cessit, quemadmodum Gentium decebat Apostolum. 2. Frustrandi erant falsi fratres; necessario ergo cessit ad tempus. Absit! Non erat fraudibus firmandum Evangelium, quod Spiritu et virtute corroborabatur. Sed de his post pauca dabimus vberiora, veriora, rebusque conformia gestis.*

## §. 5.

Plurima, pro more suo, immiscet Vir S. R. ad rem non pertinentia, dum modum, quo TERTULLIANI tempore diversitas lectionum orta sit, effingere studet. Ex quibus vnicum tango. Quod non adfuerint exemplaria ipsa Apostolorum *αὐτόγραφα*, adserit, quia aliter unica scribendi et explicandi ratio valuisset. Quod non adfuerint aequivoce dictum est. Quod non ad manus IRENAEI, TERTULLIANI, et HILARII fuerint, hoc facile concedendum est, cum locos inhabitarent isti longe satis ab iis distantes, in quibus *αὐτόγραφα* adseruabantur, nimirum in iis ecclesiis, ad quas immediate ab Apostolis missa erant. Si sensus fuerit, quod non amplius extiterint *αὐτόγραφα* TERTULLIANI atque IRENAEI tempore,



pore, in eo falleretur Vir S. R. Et ipse TERTULLIANVS et *Chronicon Alexandrinum* oppositi demonstrationem docere poterant, quemadmodum alibi vberius, allegatis Auctorum verbis, docui<sup>3)</sup>.

## §. 6.

Verum ad *Hilarium* s. Ambrosiastrum venio. Causae suae melius consuluisse Vir S. R. eum si non allegasset. Diserte enim is testatur, *Graecos dicere: nec ad horam cessimus*. Nec ullum potuit Codicem producere Graecum Vir S. R. praeter unum Cantabrigiensem, cui tamen et ipsi verba *oig sde* addita sunt. Ut tamen ne speciem omnem perdat Vir S. R. recurrit ad id, quod Latini Codices, ex Graeca olim Scriptura translati, formati fuerint ad talem textum graecum, a quo abesset negatio. Is est modus agendi, quem in causa dicti Iohannei 1 lo. 5, 7. renunt Critici nostri temporis, nunc ad eum recurrit Vir S. R. ut et pro sua parte manifestum faciat, quod omnibus nostris Criticis commune est, pro nudo arbitrio agere, et quae hoc loco, tempore, iusta sunt, alio loco, tempore injusta clamare! Quia scilicet sic volunt, sic iubent, stat pro ratione voluntas, constantibus principiis, eorumve applicationibus, non utentibus. Ad argumenta quoque abs HILARIO adhibita provocat. De quibus quid habendum sit, partim ex eo iudicatu est proclive, quod diximus (§. 4.), partim mox pluribus explicaturi sumus. Miratur autem Vir S. R. quod nemo provocet ad Codices antiquos hujus vel illius ecclesiae majoris, aut ad Doctores in Galatia et vicinis ecclesiis. Ego vero non miror, quod non provocaverint, quia Graecus iis non favebat Codex, neque vllus, docente *Theod. BEZA ad locum*, cum et ipse Cantabrigiensis adscripta habet verba, quae sunt in quaestione.

## §. 7.

Ad HIERONYMVM certe non recurrisset Vir S. R. cum fatendum sit et AVGVSTINVM et HIERONYMVM constanter

B 2

non

3) Conf. Ausführ. Betrachtung über die Geschichte Jesu, Anm. 88. 122.



non aliam adhibuisse lectionem, nec adprobasse, quam quae graecorum erat Codicum, ni ipse HIERONYMVS Latini exemplaris mentionem fecisset, quo ista lectio sine negatione continetur, et simul docuisset, quatenus sententia cogitari debeat, sumpta lectione graeca, cum negatione, et quatenus adhibenda sit, adhibita lectione Latini exemplaris, sine negatione. Nimirum priori modo respiciendum esse ad Titum, non circumcisum: posteriori modo non ad Titum sed ad iter Hierosolymitanum, de quo Act 15. 1. etc. Non cessasse nimirum Apostolum, ut Titus circumcideretur *secundum graecam lectionem*. Cessasse autem in Antiochia, gentilium circumcisionem et praestandam Legi Mosis obedientiam postulantibus, et in eo quidem cessasse, ut Solyma proficisceretur, et Apostolorum decisionem quaestionis requireret, *secundum lectionem latinam*. Eam nunc HIERONYMI pacificam explicationem vtriusque lectionis non modo acceptat, sed in commodum suum mirifice quoque interpolavit Vir S. R. SEMLERVS, ut varia HIERONYMO addat, de quibus is nihil cogitauerat. Graecos vult intellegendos *juniores*: Vult *Marcionis* lectionem a Graecis esse receptam: Vult singularem numerum, quo HIERONYMVS vtitur dum exemplar latinum nuncupat, eius efficaciae, ut omnia exempla quasi vnicum sint, adeo constans fuerit Auctoritas latinorum librorum: Vult, dum HIERONYMVS dicit, si latini exemplaris alicui fides placet, ipsum fateri, latini exemplaris fidem pluribus, jure suo, placere posse, fateri, vetustiore et constantem esse lectionem latinam, quae negatione caret, atque significare, istam novam lectionem, quam ipse sequitur, ex sensu alio, non ex vetustorum Librorum jure, locum inuenisse, nec audere HIERONYMVM ad vetusta exemplaria graeca provocare. Quae cuncta quam sint inania, vana, non probata, nec probanda, ex verbis HIERONYMI, ipso invito, extorta, ipsi afficta, in se nulla, et ea sola, quae Viro propria est, in edisserendo temeritate et audacia excogitata. Num, quaeso, eorum omnium vel unicum est, quod HIERONYMVS dixerit, aut ipsius statutis convenire possit? Si de junioribus loquitur graecis HIERONYMVS, vndenam, quaeso, lectionem eam Marcion



cion habebat? Graecos nominat HIERONYMVS nulla addita restrictione, vt et *veteres et recentiores* subintelligat. Non enim, neque ad haec nostra tempora, est ullum exemplar graecum, quod negationem non habeat. Vt et illud *unum* exemplar (§. 4.) adscriptas habeat voces de quibus sermo est. Et adscriptas habeat, quia error in omissione erat manifestus, existente non ullo alio exemplo graeco, quod omitteret negationem. Vnde, si vel ipse BEZA adscripsisset recte adscripsisset. Falsum itaque est quoque, quod a Marcione acceperint, receperint, graeci. HIERONYMVS lectionem sine negatione reiecit, nec vnquam adoptavit. Et cur non adoptavit? Quia graeci non habebant, quia textui difformis, et ideis connexis contraria erat. Si Titus inquit, ad h. l. *quum esset ex gentibus, nullo potuit terrore compelli, ut circumcideretur Hierosolymis in Iudaeorum metropoli - - quomodo quidam putant, legendum esse, quibus ad horam cessimus subiectioni, vt veritas Evangelii permaneat apud vos? et intelligendum, quod Titus ipse, qui compelli ante non potuit ad circumcisionem, rursus circumciscus sit atque subiectus? etc. Vide! Quomodo quidam putant?* Scribit HIERONYMVS! Num, quaeso, est hoc auctoritatem latinorum librorum extollere, collaudare, evehere, qui illam omissionem negationis habent? Estne hoc adferere, latini exemplaris fidem pluribus iure suo placere posse? Nonne evidentissimum est, HIERONYMVM, eam auctoritatem latinorum esse nullam, nec ejus fidei, vt cuiquam iure placere possit, docere? Interim addit HIERONYMVS, si tamen *alicui* (de pluribus, quibus placere iure possit nihil habet,) fides latini exemplaris placet, *rel.* et docet, quomodo is *aliquis* ex tricis se quoddammodo eripere posse videatur ipsi. Haec itaque Viri SEMLERI sunt ejusmodi, quibus inania venduntur, stabilis nihil quidquam habetur. Nec ipsum Virum S. R. hoc non sensisse adparet inde, quod, quamvis plura ejusdem farinae, atque modo vidimus, adhuc afferat, tandemque, more sibi proprio, in incertis subsistat, *primam* statuens eam lectionem quae negationem omittit, *ejusdem temporis* (vide contradictionem!)



ramen statuat etiam alteram, quae non omittit, nihilominus causam ipsam omni illa disceptatione non confici adseverat, adeoque pacificam illam Hieronymi methodum suam facit, recte constitutam docet, hinc utramque lectionem non modo bonam secum ferre sententiam nobis persuadere vult, sed et *eandem prorsus ratione rei esse*, nimirum, circumcisionem non esse imponendam Christianis et gentilibus. Eamque obtinuisse Paulum cedendo in Antiochia, vel non cedendo, vel ad horam simulatim cedendo, Solymis. Ut itaque multa dicendo nihil dixerit amplissima dictione Vir S. R.

## §. 8.

Verum ea pacifica HIERONYMI et nunc SEMLERI methodus in sententia contradictorie opposita est omnino nulla. *Primo*, quae in Antiochia facta sunt, neutiquam facta sunt post 14 a conversione Pauli annos, de quibus hic sermo est, Gal. 2, 1. facta sunt illa Antiochiae, et ad Concilium Apostolorum missio, anno post conversionem Pauli 11. adeoque de his in explanatione Gal. 2, 5. omnino cogitandum non est. Chronologicus est is error, quem jam Programmata primo §. 11. 12. notavimus. *Secundo*, prorsus diversa sunt, quae Antiochiae et tum Solymis, facta sunt, Act. 15, ab his, quae tempore isto, quod Gal. 2, 1. notatur, Solymis gesta sunt. In priori Concilio de libertate *Gentilium* a Lege Ceremoniali agebatur. In posteriori ista Libertas *universaliter omnibus Christianis, tum et Judaeis, tum et gentilibus*, conversis, asserbatur. Cf. Progr. primum §. 8. *Tertio*, de cessione Antiochena sermo esse non potest. Ea non erat *ad horam*. Pluribus hebdomadibus causa manebat in suspenso ad usque reditum Pauli a Concilio Apostolico. Voces *περος ὧρων* itaque forent sine mente. At in praesenti casu ubi veritas Evangelicae libertatis a jugo legis ceremonialis firmanda universaliter erat, ad resistendum falsis fratribus non vlla mora. Ergo non cessit iis ne ad horam quidem. *Quarto*, Argumentatio, cessit aliquando Paulus Judaeis circumcidens Timotheum, Act. 16, 3. Ergo *nunc quoque cessit*, est omnino nulla. 1. De libertate circumcidendi in Lystra agebatur, Solymis de  
neces-

necesitate. Ibi itaque cedere poterat libere, hic non poterat. 2. Quod maximum est, tum Circumcisionis et Legis Ceremonialis abolitio vniuersaliter nondum decisa diuinitus erat, nec momentum eius vniuersaliter decidendae iam aderat. Nunc autem momentum vniuersalis abolitionis aderat, et Paulus, ad eam causam excitatus per diuinam revelationem, Solymis praesens erat. Ergo simpliciter non poterat fratribus errantibus cedere. Non liberum, non indifferens, ipsi nunc erat, an cedere veller, nec ne. Cedere nunc non poterat, non debebat. 3. Insidiatores libertatis Christiane in Lystra non erant, sed Paulus ex libertate propria in Evangelii commodum agebat. Solymis illi erant, nec Paulo amplius libertas agendi erat, sed reuelatae sibi causae, vniuersalis abolitionis legis ceremonialis, firmandae satisfacere debebat, hinc cedere non poterat. *Quinto*, quomodo Galatis scribere potuisset Apostolus, firmam manere apud ipsos, quam ipsis praedicauerit Veritatem de libertate Evangelica, si ipse falsis fratribus cesserit, et id ipsum a Galatis Paulo potuisset opponi? Ergo neutiquam cesserit. Hinc lectio cessionem negans vnice locum habere potest. Imo, quomodo ea scribere Apostolus potuisset, quae Gal. 5, 1 — 12. leguntur, si ipse in Concilio isto, in quo ea quaestio decidenda fuit, cesserit? Certum itaque et indubitatum est, non aliter scribere potuisse Apostolum quam cum *negatione cessionis, ois e de* etc. eamque solam lectionem esse veram.

## §. 9.

Verum jam nimium isti causae inhaesimus! Progredimur ad secundam. De significatu vocis *νόμος*, Legis, in epistolis Paulinis quaestio est. Postquam plurima pro se tuendo, ad rem nihil facientia, adduxerat SEMLERUS, eaque jam non satis iusta, dum *christianam religionem cum lege mosaica nullo modo coniungi posse*, contendit, et Doctores theologos inde a seculo 16 accusat, quod sua auctoritate et consuetudine legis nomine coniunxerint omne illud, quod postea christiani, Iudaeis jam dissimiles, intelligendo et explicando reppererunt, quod sane frustra et falso dici-



dicitur utrumque; tum mente quid conceperit profiteretur. *Primo* rejicit consuetam Legis divisionem, in *Forensem*, sacram, ut dixit, sive, ut vulgo dicitur, *Cerimonialem* et *Moralem*, et hanc quidem eam, quam praeunte natura homines omnes observare oporteat, quamque Moses omnibus quoque Christianis prodat, atque praecipiat. Rejicit, inquam, istud discrimen, tanquam omni fundamento carens. *Secundo* rejicit *Mysticum* et *Allegoricum* (*Typicum* vocare debebat) legem ceremoniam explicandi modum (sensum legis ceremonialis dicere oportebat,) ut, quae ex compendio quovis theologico scire potuit, ne rite quidem expresserit. Sed nunc porro falsissime additur: *Sic decreta illa perlata esse ad omnes Christianos quasi Deus lege Mosis Christianis quoque voluerit perpetuo et pari beneficio prospicere*, quemadmodum Vir, verum falso miscens, obscure protulit. Istorum cunctorum fundamentum docturus *Tertio* stabilire intendit, Paulum voce Legis, νόμος, intelligere in omnibus suis epistolis *totam Legem Mosis*. Eo quippe evicto, arbitratur, et legis divisionem illam, et sensus distinctionem, inanem futuram. Nolo nunc quidem amplissimam illam Viri allegationem et explicationem locorum in quibus vox legis, νόμος apud Paulum occurrit, secundum singula membra, examinare, cum ad ipsam tractationem libri, ad *paraphrasin Semlerianam* epistolae, additasque ei *notas*, pervenero, magna pars earum meliori loco dijudicanda veniat. Aliqua tamen frivola doctrinae, et inefficacis docendi modi, exempla porrigam, postquam viro, prouti decet, generali deductione, veritatem opposui, ab ea declinanti.

## §. 10.

Verum est, quoad *primum* et *secundum* (§. 9.) adductum, terminos legis ceremonialis, moralis, et forensis, in Scriptura S. non quoad literas haberi, aequè minus atque termini *sensus mystici*, et *typici*. At inde concludens S. R. Semlerus, quod de ista *causa*, de re ipsa, terminis significata, Paulo nihil quidquam in mentem venerit, est profecto crassiori in errore. Nec verum est, in omnibus Pauli epistolis, adhibito legis, νόμος, termi-

termino Paulum *totam legem*, vel, vt deteriori adhuc modo Vir S. R. loquitur, *istos libros, qui legem Mosis complectuntur*, intelligere. Vtrumque paucis illustrabo. Quoad primum observo 1. Generaliter, consuetum esse haereticis modum, vt *causam* negent in Scriptura S. haberi, vbi terminum, quo designari solet, in Scriptura S. non legunt. Hoc exemplis haereticorum, qui *Trinitatem*, qui *Peccatum Originale*, qui *unionem Hypostaticam*, qui *Idiomatum Communicationem*, qui *Satisfactionem Christi*, qui *Sacramenta exhibitiva gratiae media*, negabant, sat manifesto probatur. His similem se, doleo, Vir S. R. SEMLERVS praestit. At eo, aequè minus atque illi, causam, s. rem, abunde in Scriptura Sacra expositam, ipsam, is ex ipsa Scriptura Sacra auferet. Nonne Leges, quas per Mosen Deus Israelitis praescripsit, per se, et tenore suo, ita differunt, vt pars actionum liberarum, ad externa cultus divini, vel Agenda Ecclesiastica, et ad forum Judaicum, non pertinentium, directionem respiciat, et quoad mores, omnibus hominibus custodiendos, normam faciat, pars cultus externa illa Israelitarum divini, pars forum Judaicum, tam quoad civilia, quam criminalia, dirigat? Quid ergo causae est, quo minus, quae ita differunt, leges diversis non insigniendae sint nominibus? Num quid Theologo minus licitum est, quam cuiuis, reliquis Facultatibus, aut Artibus, dedito, commoda *rebus*, quas ex Scriptura S. didicit, tribuere nomina, vitandae confusionis causa? Adeoque hoc quidem loco terminis Legis Moralis, Cerimonialis, et Forensis, vti? Sed! Ea est nostri temporis protervia, vt iura Scripturae S. ejusque Doctoribus, eripiant, quae intellectus ipse, ipsaque ratio, hominum, communia hominibus stabilivit. Opprobrium nostri temporis! Is est hoc loco Viri S. R. agendi modus, qui divisionem quoad terminos respuit, quam quoad rem, et Legum divinarum Israelitis datarum diversa contenta, negare nequit, et, si negaret, stupendae inscitiae, cuius profecto capax esse non potest, reum se fingeret. 2. Specialiter autem, et quoad praesentem materiam, quid manifestius se prodit, quam a Divo Paulo, optime custodita Legum differentia? Quid manifestius est,

C

quam



quam, quod Paulus *legem* pluribus locis dicat, quae cerimonia-  
lis est, neuiquam mores omnium, sed solas externas Sacerdo-  
tum, et religiosi cultus, circumstantias, et agendi modos Sa-  
cerdotum, respicit? Numquid e.g. Ebr. 7, 28. *Lex Sacerdotes*  
*facit homines imbecillitate laborantes*, poterit *tota lex*, vel pote-  
runt *Libri Mosis*, qui *legem complectuntur*, iusto significatu, in-  
telligi? Quid ad Sacerdotis institutionem pertinet Decalogus?  
Quid Lex fori, de lapidatione blasphemi, multaque alia? cum  
quilibet intelligat de Lege Ceremoniali, ejusque illa parte, quae  
de Sacerdotibus instituendis praecipit, esse sermonem? Eodem  
modo ad Ebr. 10, 8. sentiendum est, ubi Legis nomine non pot-  
est exprimi nisi Lex Ceremonialis, et specialiter ea, quae de sa-  
crificiis praecipit. Et, quod ad Epistolam ad Galatas attinet, ad  
quam nunc speciatim provocat Vir S. R. quomodo poterit Gal.  
5, 14. Legis vocem de Lege vel Ceremoniali, vel Forensi, quis-  
quam intelligere, cum manifesto de Lege morali sermo sit?  
Imo, quam fuerit frigida sententia, quae omnes hic substitue-  
ret Mosis libros? Praesto sit aliud exemplum, Rom. 2, 14. *ἐκ τῶν  
ἔσται νόμος* ipsi sibi sunt *lex*. Hem! Numquid sibi ipsis sunt Libri  
quinque Mosis? Numquid sibi ipsis sunt Lex tota Mosis? Ergo-  
ne etiam ad easdem ceremonias, ad eosdem fori canones, per se  
ipsum, hinc lege naturali instructi, obligantur gentes? Quo tan-  
dem deveniendum erit! 3. Videamus autem Argumentorum  
quoque Viri S. R. speciem aliquam: 1. *Allegat* (Paulus) Gal.  
3, 10, *νόμος* sententias, et v. 17. *νόμον* post 430. annos demum  
datam. Haec descriptio non potest aliter explicari quam de  
*istis Libris*, qui *legem Mosis complectuntur*. Itaque porro om-  
nes illae sententiae, quae occurrunt in hac epistola de lege,  
*νόμος*, debent de *cunctis libris mosaïcis*, de *tota lege Mosis*, intel-  
ligi. Egregius profecto colligendi modus a *particulari ad*  
*universale*, quem Logicae peritus admittat nemo! solis ad-  
versus Scripturam insurgentibus dignus!

## §. II.

Verum dicamus, quod res est. Non negamus, dari  
Locos Scripturae N. T. ubi voce *legis* intelligenda sit *lex tota*  
*Mosis*,

*Mosis*, Gal. 4, 21. qui sub *lege* esse vultis. Gal. 5, 3. debitor est *universae legis* faciendae. *al.* Atque isthoc significatu in illis maxime locis jure meritoque accipienda est vox, vbi justificatio, per legem ejusque opera quaesita, rejicitur, Gal. 2, 16. Rom. 3, 28. *al.* Nec negamus dari locos, in quibus per legem intelliguntur quinque Libri Mosis, Luc. 24, 44. Act. 13, 15. quo referri potest quoque comma vltimum Gal. 4, 21. Citatur enim textus ex Gen. 16, 17, 21. Imo sunt loci vbi tota Scriptura Vet. T. Legis nomine significatur Ioh. 10, 34. vbi citata verba sunt ex Psalmo 82, 6. Eodem modo 1. Cor. 14, 21. verba citata sunt ex Ies. 28, 11. Sed ex his concessis non sequitur, semper eundem significatum termino *legis* in Scriptura N. T. vel Epistolis Apostolicis, vel Paulinis, esse tribuendum. Cum itaque Vir S. R. non alium, quam eum *legis universae Mosis*, vel *librorum omnium Mosis*, voci *legis* tribuendum praesumit significatum, omnino in errore versatur: Quod multitudinis locorum inductione probari posset, ni pro tractationis limitibus in his subsistendum esset, ad causam dirimendam sufficientibus. Duo tamen monenda adhuc sunt. Primo non immerito quaeritur: An voces *tota lex Mosis*, et *cuncti libri Mosis*, synonymice adhiberi velit Vir S. R. prouti eam intentionem non obscure prodit? In casu negativo jam *πολύσημιν* facit *legis* terminum, qui unicum ejus significatum stabilire voluit, sibi ipsi contrarius: In casu affirmativo, cum, vt suo videbimus loco, a lege nos sua doctrina liberasse Christum docet, tota lege, sensus simul hoc involuit, a quinque libris Mosis nos doctrina sua liberasse Christum, vt Moses itaque nihil ad nos, nec Vaticinia hinc de Christo, quae in his Libris habentur, quidquam ad nos, pertineant. Latentem ergo in herba anguem videat quisque. *Secundo*, Regulae Exegeticae jubent, terminis non ex arbitrio interpretis jungendas esse ideas, sed eas solas, quae per contextum, hinc ideas connexas, scopo scriptoris conformiter, determinantur. Vbi itaque ideae connexae alium significatum termini postulant, prouti in casu obvio ex dictis (§. 10. 11.) abunde patet, vnitas significatus, nudi



di arbitrii interpretis foetus, est legibus *ἐπιμνηστικὰς* iustae contrarius.

§. 12.

Quemadmodum quoad Legis divisionem in Moralem, Cerimonialem, et Forensem, a vero aberrantem, et hypotesin falsam falsis principiis probantem, vidimus Dn. SEMLERVM: Ita se res quoque habet, cum de sensu Mystico et Typico, quem per errorem dixerat Allegoricum, a quo prorsus differt, non admittendo disputat. Est autem sensus *Literalis*, quem per ipsas voces Auctor divinus intendit, idemque est vel *proprius* vel *improprius*. Eidem opponitur *Mysticus*, quem Auctor divinus non per ipsas voces, sed per rem, sensu literali expressam, significare voluit. Atque is quidem dividitur in *Typicum*, vbi Res sensu literali significata est pars cultus Cerimonialis, vel historiae populi Dei, Res per illam significata autem Christus, vel aliquid, quod ad ipsius regnum spectat: *Allegoricum*, cum aliqua historia vere facta rem aliam ex intentione Dei significat, cuius Ier. 27, 28, *al.* exempla habentur: et *Parabolicum*, quo historia ficta, vel factio ficto, possibilibus tamen, rem aliam repraesentandam intendit Auctor divinus. Exempla habentur in Parabolis a Christo adhibitis omnibus. Is distinguendus a Fabula est, quum historia ficta, vel factio ficto, iisque impossibilibus, rem aliam moraliter impossibilem repraesentare intendit auctor. Exemplum habetur Judic. 9, 7. etc. Adduxi, quae inter nos sunt notissima, vt quilibet intelligat, non modo SEMLERVM termino allegorici sensus non rite usum esse, sed nec recentiores quosdam novatores meliori cognitione instructos esse, dum fabulae nomen parabolis Christi adaptare non verentur. Sensum nunc istum Mysticum et Typicum, quem falso nomine Allegoricum dixerat, repudiat Vir S. R. eo quidem fine, vt ne ex Libris Mosis proficua Christianismo redundet utilitas. Miserum inventum et Religioni Christianae omnino adversum! Sane qui Mysticum eumque Typicum sensum admittere non vult, is et Mose, et Paulo, obloqui cogitur. Moses enim expressis verbis Legi, a Deo Israelitis datae, Mysterium inesse adfirmat divinum? Deut.

Deut. 29, 29. Tolle sensum Mysticum et Typicum; Vbinam erit in lege Mysterium? Sensus itaque Mysticus et Typicus tollendus non est. Is ipse quoque Moses, vel potius Deus ipse, distincte docet, sanguinem Israelitis in aram dedisse Deum, vt animae ipsorum reconcilientur. Non, quasi brutorum sanguis id praestare posset, sed, vt statim additur, *quia futura sit, per sanguinem, hominum perfecta reconciliatio*, Lev. 17, 11. 4). Quid hoc est, nisi, quod symbolum, typus, cruenta sacrificia ipsis esse debeant futurae perfectae reconciliationis per sanguinem, quae profecto non vlla est alia, quam effuso sanguine Christi perfecta, 1. Pet. 1, 18. Imo, qui Paulum, Petrum, Joannem, et ipsum Christum, auscultaverit docentes, eorumque doctrinae se non infestissimo opponere animo voluerit, is profecto *Mysticum et Typicum sensum*, in plurimis V. T. rebus rejicere non audebit. Expresse enim Paulus in Epistola ad Hebraeos et vberime Typos Veteris Testamenti docet Hebr. 9, 8. 9. 10. 23. 10, 1. *al.* itemque 1. Cor. 10, 4. Rom. 5, 14. et expresse primo loco docet eum esse sensum a Spiritu S. intentum, τὸ δὲ ἀλλότῳ τῶ πνεύματι τῶ ἁγίῳ. Sic et Petrus 1. Petr. 3, 21. et Joannes Jo. 19, 36. coll. Ex. 12, 46. et ipse Christus Jo. 3, 14. Matth. 12, 39. 40. 16, 4. de typica, de quibus loquantur, rerum ratione abunde testantur. Vanum itaque et inane Vir S. R. ea cuncta negandi, non admittendi, concepit consilium.

## §. 13.

Grave porro est Viro S. R. admittere, Deum lege Mo-  
sis, non solum Judaico populo, sed et Christianis, voluisse per-  
petuo et pari beneficio prospicere. Verum vbique falso misce-  
rur, vt hoc speciem ab illo mutuetur. Par nobis esse Lege  
Mosaica, quantum ad Ceremonialem et Forensem attinet, be-  
neficium datum a Deo, quis nostrum est, qui adstruxerit? Dis-  
paritas enim est in aprico, est in confesso. At eo negandum  
non est omne beneficium, negandum non est perpetuum no-  
bis, ipsa ista Lege Mo-  
sis, datum esse beneficiura. Et cum simul

C 3

ad

4) Conf. quae docui im Vernunftmäßigen Beweis von der Nothwendig-  
keit der göttlichen Offenbarung ic. Th. 3.



ad Legem Moralem respicitur, tanto quidem minus negari potest, perpetuum ea beneficium concessum esse nobis, quanto certius etiam, par nobis eo datum Dei beneficium esse, adstrui potest. Sed de ista causa posthac specialiter nobis agendum erit. Hic sufficit ad infringendam Viri, beneficium Lege Mosis nobis datum negantis, audaciam, prolatis ejus opponere doctrinam Pauli, beneficium distincte et vniuersaliter praedicantis ὅσα προεργάσθη etc. Rom. 15. 4. praedicantis quidem de omni Scriptura, hinc quoque Lege. Et de hac quidem specialiter enunciat, quod bona, sancta, recta sit, Rom. 7. 12. 1. Tim. 1. 8. vbi simul rectum ejus vsum requirit. Et quantum ad Legem Mosis totam, s. Libros omnes Mosis, attinet, non modo legem, ejusque triplicem speciem, continent, cujus Pars Moralis omnes omnino homines obligat, hinc et Christianos. Ceremonialis autem, quia Christum praemonstrat, cujus quoque futuram hominum cum Deo reconciliationem nunciat, ea omnino nos condocer, fideles in Vet. Test. non alio modo, nisi per fidem in futurum Redemptorem, salvatos esse, quae quidem doctrina non exiguo nobis vsu est. Ea porro magnam quoque nobis vtilitatem eo praestat, quod iuxta ea, et onus Patribus impositum, et magnam hinc libertatis Christianorum, ab isto onere liberatorum, excellentiam, cognoscamus: Imo Forensis pariter non absque simili vsu, quem postremo loco Ceremoniali tribuimus, perlegetur, sed omnino etiam sapienter institutae reipublicae exemplum praestabit. Vt mirer, adeo vage et inutiliter de his rebus judicare SEMLERVM potuisse.

## §. 14.

Quo autem tandem haec cuncta Viri tendunt? Nimirum eo, vt, cum Paulus a Lege nos liberos docet, a lege tum Morali, tum Cerimoniali, tum Forensi, nos liberos esse fingi possit: Vt discrimen inter Justificationem nostram per fidem, atque renovationem, tollatur: Vt vsus Legis, in Contritionem hinc conversionem peccatoris influens, pariterque ejus vsus in sanctificationem s. renovationem influens pessunderur; Vt alia, quam sola in Christum, ejusque Satisfactionem

nem pro genere humano praestitam, fide, fingendo ventiletur ad salutem aeternam via: Vt lege tota abolita, *quinque libri Moſis*, hinc quae in ipsis de Creatione, de Imagine Dei, de Lapſu Diabolorum et Hominum, de Peccato Originali, de vniuerſali Diluſio, de Chriſto, et omnium gentium per ipſum ſolum Salute, docentur, cum Vaticiniis, quae de Chriſti Satisfactione, et manifeſtationis ejus tempore, de ejus perſona Theandrica, et Officiis, praecipunt, de Myſterio Legis, hinc Typis Chriſti, ejusque regni, aliisque pluribus, in his libris expoſitis, ſaluberrimis doctrinis, vt, inquam, ea cuncta removeantur, abjiciantur, et Religio Chriſtiana tanquam per omnia capita nova, qua Patrum V. T. nemo, ſed per omnino aliam religionem, ſaluſatus ſit, ſiſtatur! Sed! Ohe! Jam ſatis eſt! Videbimus plura, quae modo dixi illuſtratura, cum ad Paraphraſin Viri ipſam peruentum fuerit.

Ex omnibus Vobis, Academiae Cives O. O. Honorariſſimi, hoc ſine dubio clariſſime elucet, poſtquam ſemel a tramite, quem Deus in Scriptura Sacra nos docuit, diſceditur, patere in quosvis errores viam, et verum eſſe Apoſtoli adſertum 2. Tim. 3, 13. Proſecto ſi ex diuerſitate aliquot verborum, ex iterata mentione earundem rerum, ſequeretur, librum ex laciniis et fragmentis aliorum Auctorum incognitorum eſſe compoſitum. Quis demum Liber vel ſacer, vel profanus ſuo non poſſet privari Auctore vnico et vero? Et ſi modus cogitandi Semlerianus valeret, cito omnis revelatio abjicienda foret, Naturaliſmo, et Religionum Indifferentiſmo, introducto. Sed Sancta nobis erit Religio Revelata Chriſtiana: Sancta Scriptura S. illius fons et vnica origo: Sancta nobis quaelibet ejus pars, quam omnem, totam, divinitus inſpiratam novimus. Et haec ſit animi noſtri adverſum errorem communitio, vt ne a quoquam nos a Scripturae litera repellere ſinamus. Imo ad hanc firmiſſime ſervandam noſtram mentem motiva quoque graviſſima praestat, in Apoſtolos Domini noſtri Ieſu Chriſti Effuſio Spiritus Sancti. Per hanc enim Apoſtoli irrefragabiles fidei noſtrae Duces facti ſunt, eorumque testi-

monium



monium de Mose, ejusque Scriptis, divini testimonii characterum indubitatum obrinuit. His itaque Ducibus corrobororemur in sanctissima fide de Universalis Legis scriptorumque Mosis, non minus atque totius V. et N. T. Scripturae usu ad eundemque obligatione nostra. Sic canenti Prophetae adstipulabimur Ps. 19, 8. 119, 105. Sic tandem isti regulae conformiter credentes, agentes, ad sancta penetrabimus fidelium aeterna habitacula, et certissime erit felicissimus vitae nostrae

F I N I S.

SVB SIGILLO RECTORALI  
ACADEMIAE ROSTOCHIENSIS

I P S A

FERIA PENTECOSTES FESTI PRIMA

A. S. R. CI<sup>O</sup>CCCLXXXVII.







nem pro genere humano praestitam, fide, fingendo ventiletur ad salutem aeternam via: *Vt lege tota abolita, quinque libri Moysi*, hinc quae in ipsis de Creatione, de Imagine Dei, de Lapſu Diabolorum et Hominum, de Peccato Originali, de uniuersali Diluuiio, de Christo, et omnium gentium per ipsum solum Salute, docentur, cum Vaticanis, quae de Christi Satisfactione, et manifestationis eius tempore, de eius persona Theandrica, et Officiis, praecipiant, de Myſterio Legis, hinc Typis Christi, ejusque regni, aliisque pluribus, in his libris expositis, saluberrimis doctrinis, vt, inquam, ea cuncta remouentur, abjiciantur, et Religio Christiana tanquam per omnia capita nova, qua Patrum V. T. nemo, sed per omnino aliam religionem, saluatus sit, sistatur! Sed! Ohe! Jam satis est! Videbimus plura, quae modo dixi illustratura, cum ad Paraphrasin Viri ipsam peruentum fuerit.

Ex omnibus Vobis, Academiae Cives O. O. Honoratissimi, hoc sine dubio clarissime elucet, postquam semel a tramite, quem Deus in Scriptura Sacra nos docuit, disceditur, patere in quosvis errores viam, et verum esse Apostoli adsertum 2. Tim. 3, 13. Profecto si ex diuersitate aliquot verborum, ex iterata mentione earundem rerum, sequeretur, librum ex laciniis et fragmentis aliorum Auctorum incognitorum esse compositum. Quis demum Liber vel sacer, vel profanus suo non posset privari Auctore vnico et vero? Et si modus cogitandi Semlerianus valeret, cito omnis revelatio abjicienda foret, Naturalismo, et Religionum Indifferentismo, introducto. Sed Sancta nobis erit Religio Revelata Christiana: Sancta Scriptura S. illius fons et vnica origo: Sancta nobis quaelibet ejus pars, quam omnem, totam, diuinitus inspiratam novimus. Et haec sit animi nostri aduersum errorem communitio, vt ne a quoquam nos a Scripturae litera repellere sinamus. Imo ad hanc firmissime seruandam nostram mentem motiva quoque gravissima praestat, in Apostolos Domini nostri Iesu Christi Effusio Spiritus Sancti. Per hanc enim Apostoli irrefragabiles fidei nostrae Duces facti sunt, eorumque testimonium

